



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

XX. Intentio Concilii generalis, de quo supra fit mentio, quod habetur in cap. vsurarum, de vsuris libro sexto, in effectu est talis, vt sequitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

pore pro quantitate eadem adaucto numero vsurarum. Et hæc constitutio vna cum constitutione Gregorii X. in generali Concilio edita publicari debet singulis annis in quadragesima, lecto euangelio in singulis ecclesiis cathedralibus & collegiatis. Et tunc etiam vsuras exercentes contra dicti Concilii tenorem, ac illi qui eos retinent in domibus propriis, nominatim & in specie excommunicati debent denuntiari. Et vsurarium, etiam occultum, dum tamen duorum vel trium fide dignorum testium ipsum constituerit vsuras exercuisse, nec pro eo satisfactum fuerit, nullus recipere debet ad ecclesiasticam sepulturam. Alioquin ecclesiastici, in cuius cœmeterio de consensu prælati siue capituli tale corpus sepultum fuerit, exhumatum ecclesiastico subiacet interdicto.

ANNO  
CHRISTI  
1429.

## XX.

*Intentio Concilii generalis, de quo supra fit mentio, quod habetur in cap. vsurarum, de vsuris libro sexto, in effectu est talis, vt sequitur.*

Constitutio Lateranensis Concilii contra vsurarios edita debet inuiolabiliter obseruari; scilicet, quod manifesti vsurarii ad communionem altaris & ecclesiasticam sepulturam, & oblationem faciendam, admitti non debent. Et qui eorum oblationes receperint, aut ad ecclesiasticam eos sepulturam admiserint, compelli debent reddere quod acceperint, & ad arbitrium episcopi ab officio suspendi. Item secundo præcipitur dominis terrarum & vniuersalibus, seu communitatibus, ne permittant alienigenas in terris & locis suis conducere domos, & iam conductas retinere ad exercendum vsuras. Contrarium facientes, si sunt episcopi, aut eorum superiores, suspensionem; alii vero inferiores, excommunicationis; communitates autem interdicti sententias & pœnas incurrunt ipso facto: quas suspensionis & excommunicationis pœnas, si episcopi, & eorum superiores, aut singulares personæ per mensem sustinuerint animo indurato, eorum terræ, quamdiu huiusmodi vsurarii in ipsis permanferint, ecclesiastico subiacent interdicto: & nihilo minus laici ab huiusmodi excessu per suos debent ordinarios compesci.